



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiae, 1605**

De Missione In Regnum Fingo.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

tanta gratia eam Dominus noster ornauit, ut tum vitæ exemplo, tum efficaci persuasione ex Ierosolimitæ sectæ suæ hominibus paucis diebus septuaginta ad sacramentum baptismi pellexerit. Voluit deinceps vocari Anna, & ob deuotionem, quam paulatim habere cepit erga beatissimam Virginem, filię suę annorum tredecim impoluit nomen MARIÆ.

DE MISSIONE IN RE-  
GNVM FINGO.

**I**N regno Fingo est propugnaculum, dictum Iabe, subiectum Angulino Ecuno Camidono, cui præest vnus ex primis partiu Meacensium Christianis, homo genere nobilis, & de Societate bene meritus, cuius virtutes præclaraque opera descripta sunt in veteribus Iaponiæ annuis, sub nomine Georgii Iafensis. Is cum omni familia sua vehementer desiderauit, hoc anno quendam ex primis Patribus, à quo ante annos triginta baptizatus fuisset, ad peragendum Hebdomadæ sanctæ officium ad se venire: sed cum intellexisset eum tam afflicta esse valetudine, ut venire non posset, a P. Viceprovinciali alium eius loco mitti postulauit, & impetravit. Qui dum in itinere est, Georgius interea omnes Christianos, qui plus minusve millesimam attingunt numerum, eiusque propugnaculo subiecti sunt, conuenire iussit, distributisque nocturnis iuxta ac diurnis horis orationi continuæ ante altare, quod in maxima quadam aula eleganter ornata excitarat, vacare voluit, ubi viri æquæ ac mulieres quadragies mille Rosaria Christi Domini nostri duabus de causis recitarunt. Primò, pro Iaponiæ conuersione, Patrum in pristinum statum restitutione, aliisque Ecclesiæ huius necessitatibus. Secundò, ut Domino adiuuante Pater saluus & incolumis eò perueniret, cui confiteri de peccatis possent, & cum eodem septimanæ sanctæ solenniumque dierum Paschæ officia celebrare. Aduenit Pater die Martis eiusdem septimanæ, tantamque lætitiã & consolationem attulit eius conspectus, ut verbis explicari non queat. Cõfessi sunt, quotquot per temporis angustias potuere: necesse enim habebat Patre nocturno somno quieteque necessaria priuare, ut piis eorum votis & precibus faceret satis. Quaque nocte magnus eorum numerus in illam aulam confluebant, & postquam aliquot tempus orationi tribuissent, in sua terga ipsi acriter defauebant. Die Veneris sancta quam plurimi conferebant se ad Crucem, in monte iactu vnus Selopeti a propugnaculo disiuncto ere-

etiam, omnesque toto itinere, tam in ita quam in reditu, usque sanguinem magna religione se diuerberabant. Inter quos pedibus incedebant ipse propugnaculi Praefectus & ceteri nobiles. Qui, ut domum reuerrere, habitu mutato, pro more suo uenerunt uisitatum Patrem, de rebus piis audituri, tam hilari & immoto vultu, ac si disciplinam nunquam attigissent. Gentiles haec pœnitentiæ asperitate, concordiaque, & amore Christianorum permoti, aditum ad uerbum Dei sibi patefieri petierunt: quo profecto quadraginta ex iis iam adulti in Christianorum ordinem adscribi uoluerunt.

Filia praefecti, nomine Monica, quae octavo natiuitatis suae baptizata est, & iam uiginti secundum attigit annum, ob uirtutem, doctrinam, & exemplum suorum parentum, semper pietate & honeste, insistens eorum uestigiiis, uixit. Desponsata autem cum adolescente multis donis conspicuo Augustini cognato, qui in bello Coraiano periit, nondum annum ingressa uiginti annorum est uidua: quae si in his partibus aliquod extitisset sanctimonialis canoniū, illud libentissime fuisset ingressa. Et quoniam iuxta illud statum constituerat, quoad fieri posset, se totam dedicare Deo, omnes uestes suas uanas, aliaque multa quae a nobilibus feminis ad uoluptatem seruari solent, misit ad P. Viceprovincialem, humiliter ab eo petens, ut omnia erogaretur in pauperes & egenos: se enim decreuisse, omnia, quae in testamentum referri solent, ut distribuantur post mortem, expendere in uita. Haec domina bonae suae habet omne instrumentum sacrum ad sacrum Missae faciendum necessarium; ut quoties eodē Pater aliquis profectus fuerit, omnia ibi parata inueniat.

#### DE COLLEGIO AMACVSANO EIVS- QUE RESIDENTIIS.

**I**N Collegio Amacusano hoc anno uixere de Societate uiginti tres, hoc est, sex Sacerdotes, & septendecim fratres. Octiduo elapso anni 95 P. Viceprovincialis quindecim tyrones allegatos Europaeos quinque, & Iaponios decem, cum quibus datum est principium Domui probationis. His accessere fratres ueterati deni, qui confecto studiorum cursu ex usu Societatis tertium probationis annum decurrant. Omnes ergo quadraginta quinque capitum numerum efficiunt.

In Collegio seruetur ordo in Societate consuetus. Fratribus Iaponus, post Humanitatis praelectiones, & Epitomen rerum ad